



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

117. An incompatibilitas duorum per se curatorum impediât, quò minùs unum habeatur in titulum, alterum in commendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

seu diversa Ecclesia Parochialis, cum unum quodque pro simplice reputetur, & ut dictum, neutrum propter istam curam habituale accessorie annexam requirat residentiam illius in Ecclesia Parochiali, simul haberi: Item cum, qui habet curatum, posse obtinere & simul retinere aliud simplex, cui annexum est aliud curatum. Pirh. ad tit. de prob. n. 136.

Questio 117. An ergo incompatibilitas illa duorum per se curatorum impediatur, quod minus unum habeatur in titulum, alterum in Commendam?

Respondeo primo affirmative: dum sermo est de commenda in perpetuum. Laym. in c. avaritia, de elect. in 6. nu. 1. Azor. p. 2. l. 6. q. 11. loquens in genere, non tantum de curatis, sed de quibuscunque, & undecunque ipso jure incompatibilibus, non posse duo eorum haberi simul in commendam; nec unum in titulum, alterum in commendam perpetuam, ac pro hoc citant Gomez. in reg. de trienn. poss. q. 5. n. 10. & seq. Mandos. ad reg. 32. q. 7. n. 1. 7. & 12. ubi is expressè; quod commenda perpetua incompatibilitatem inducant tam inter se, quam quoad alia beneficia habita in titulum. Idem tradit Tond. qq. benef. p. 2. c. 1. §. 2. n. 14. citans Riccium collectan. 999. Hæc enim simultanea commendatio perpetua est præter Canones antiquos, utpote quibus commendabantur tantum ad tempus, ut constat ex c. qui plures. 21. q. 1. & investita in Ecclesiam ex nimia hominum ambitione. Azor. loc. cit. §. dubium autem, quin & in fraudem legis verantis habere plura incompatibilia in titulum; nam, cum duo jure tituli haberi non possent, unum tantum ratione tituli, alterum per commendam haberi posset, excogitaverunt novam rationem habendi perpetuo plura, unum videlicet jure tituli, alterum jure commendationis ad vitam vel perpetuam administrationis. Azor. loc. cit. Laym. cit. n. 1. Et hic sensus est Trident. dum sess. 7. c. 4. ait: quicumque plura curata, aut alia incompatibilia beneficia sive per viam unionis ad vitam, seu commenda perpetua, aut alio quocunque nomine & titulo contra formam SS. Canonum in simul retinere præsumperit, beneficiis ipsis ipso jure, etiam vigore præsentis Canonis, privati existat &c. ut nimirum non solum veret haberi plura incompatibilia in perpetuum, seu ad vitam commendata, ut voluerant quidam, sed etiam haberi unum eorum in titulum, alterum in commendam perpetuam, Azor. loc. cit. §. existimo. Accedit, quod commendatio, etiam in perpetuum non mutat statum & conditionem beneficii, ac proinde beneficium actu curatum commendatum retinet curam animarum actu, residentiam, & hinc ortâ incompatibilitatem. Unde & commendatarius perpetuus in eo residere debet, parumque refert, si aut rector aut prælatus dicatur; quia beneficium suscipit cum oneribus ipsi beneficio annexis; aut etiam, quod non per mortem commendatarii, sed illius, qui illud jure tituli ultimo obtinuit, dicatur vacare. Azor. loc. cit. & §. dices. Nec obstat Cardinales Episcopatus, Abbatias, Prioratus passim retinere jure & nomine commendationis perpetuæ, vel administrationis ad vitam; nam id fit ex concessione & indulgentia Papæ. Azor. loc. cit. §. obijctes secundò. Unde jam etiam illud infertur, quod, cum illud sit contra jus commune, & Trid. Episcopi auctoritate id fie-

ri non posse, ut quis habeat Ecclesiam Parochialem, vel aliud beneficium residentiam requirens in titulum, & aliud simile in commendam perpetuam. Azor. loc. cit. §. existimo. citans Nav. in man. c. 5. nu. 126.

2. Respondeo secundò: si sermo est de commenda ad tempus, videri tunc posse simul haberi unum in titulum, & alterum commendatum ad tempus, etiam si ambo sint Ecclesiarum Parochiales. Pirh. ad tit. de prob. n. 130. citans Piassec. in pr. Ep. p. 2. c. 5. a. 3. n. 72. Azor. cit. q. 11. juxta c. qui plures. 21. q. 1. nam is, cui Ecclesia ad tempus commendatur, beneficiarius jure non censetur, nec fructus beneficii sibi acquirit, sed eos successoribus reservat, de iis rationem redditurus, tantum sibi reservans, quantum necessarium ad honestum victum, & tunc sui laboris mercedem, & curæ debita stipendium. Azor. loc. cit. unde & hoc fieri potest ex ipsa juris dispositione seu concessione. Azor. loc. cit. tradit nihilominus Tond. loc. cit. n. 3. 4. & 6. quod licet vi c. nemo. de elect. in 6. ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiarum potuerit Episcopus concedere beneficium in commendam ad 6. menses & non ultra, & si elapsis istis 6. mensibus duraret eadem necessitas vel utilitas, potuerit hanc commendam prorogare ad alios 6. menses juxta gl. in cit. c. nemo. 9. de iur. & Rebuff. in pr. p. 1. rit. de commend. n. 65. hodie tamen non obstante illa dispositione c. nemo. correctâ sit per Trid. vi cuius solum possit Episcopus Vicarium temporalem deputare. dum Ecclesiarum necessitas hoc requirit, servatâ formâ ejusdem Trid. sess. 24. c. 18. juxta decretum S. Congreg. Concilii referente Barbol. in recollect. Apost. decis. collectan. 187. n. 1.

Questio 118. An, præscindendo à sufficientia, sit contra jus naturæ, habere beneficium unum curatum in titulum, & aliud curatum in commendam perpetuam?

Respondet negativè. Hurt. de resid. ex vi benef. resol. 6. subrejol. 9. nu. 1. dicens, hinc posse id fieri ex pura pontificis dispensatione, sine ulla juris naturalis relaxatione: atque ita, etiam si Papa dispenset sine causa, validam fore dispensationem, & provisum tutum in conscientia, nisi fiat beneficiorum commendatorum etiam simplicium nimia coacervatio, quæ, nisi subit urgentissima causa, sit turpissima contra jus naturæ; citatque pro hoc nu. 5. Hojed. de incompat. p. 2. c. 4. dicentem, neminem scribentium de hoc dubitare, Rationem verò, cur hoc turpitudinem nullam contra jus naturæ contineat, reddi, ait Hurt. n. 4. de gl. in cit. c. qui plures. 21. q. 1. nempe hanc: quod quis Ecclesiarum commendatæ non sit prælatus, sed potius procurator. c. obitum d. 6. t. & dum objicitur, eadem incommoda & inordinationes contra jus naturæ sequi ex hoc, quod quis plura curata habeat in commendam, ac si ea habeat in titulum perpetuum, respondet n. 7. & 8. ex Hojed. quod auctoritas & scientia Rom. Pontificis removeat omnem suspitionem, & præsumatur, quod commenda ad vitam facta fuerit ex justis & rationabilibus causis, quæ præfatis incommo-dis præferendæ; nam in his Rom. Pontifex de illicito facit licitum, ita ut eo ipso facto auferatur omnis incompatibilitas in foro externo. Ex quibus tamen postremis argui videtur habere & conferre talia, nempe unum curatum in titulum, alterum in commendam sine justâ causa,